

hält fol. 97—100' einen Brief Columbans: 'INCIP EPIS SCI BANI ABBATIS DE IN(GEEW?) HUW. UIT(AE?). O tu vita humana fragilis et mortalis — per eum qui vivit et regnat'. Dieses Schreiben dürfte noch unbekannt sein; der Anfang scheint sich mit dem 5. Sermo des Columban bei Rossetti, Bobbio illustrato II, p. 38: 'De vanitate humanae vitae. O tu vita quantos decipisti, quantos seduxisti' etc. ungefähr zu decken.

Der Cod. Paris. nr. 16361 (früher Sorbonne nr. 283) saec. XII, in 8°, p. 288, enthält hinter Bedas Schrift 'De ratione temporum', p. 212—217. ein altes auf die Osterstreitigkeiten bezügliches Schriftstück, welches bisher noch ungedruckt ist:

'De sollempnitatibus et sabbatis et neomeniis, quae in lege a Domino praecipuntur observari, tuae caritatis imperio cogente dicturi, quid secundum litteram reprobari, quid spiritaliter observari debeat, prius cogimur amatoribus litterae adversariis-que veritatis respondere, quos cum ego possim iure repercutere, magis eos blande leviterque alloquens, ad agnitionem veritatis venire cupio. Qui cum radicis amarum cordicem¹⁾ ruminare cupiunt, poma spernunt, pulveremque auri mirantes, formata metalla despiciunt, quia etsi secundum litteram legis observari cuncta contendunt, velamine²⁾ posito super faciem Moysi, spiritus et veritatis luce illuminari nequeunt. Quos, etsi veritati non adquieverunt, hirci tamen more emissarii humero³⁾ nostrae patientiae portemus, parati ad satisfactionem de ea quae in nobis est fide ad suae perditionis⁴⁾ et lavare postea vestimenta, ne contagione heretici⁵⁾ sensus polluti remaneamus. Nos autem inicio huius opusculi exemplo Iheremiae⁶⁾ docti evellere prius et⁷⁾ destruere et postea plantare et aedificare proponimus, de scripturis prius ostendere cupientes, quoniam hae feriae Domini, quae praecipuntur lege servari, non umbra sed spiritali observancia celebrari iubentur. Et si qui inbecillitatis⁸⁾ nostrae auctoritatem parvi pendere voluerint, prophetas audiant, qui provido vaticinio providentes harum reprobationem evangelii tempore voce aperta praedixerunt, immo in eis Domino praeloquente⁹⁾: 'Dies festos vestros et neomenias et sabbata odit anima mea', et haec se Dominus non¹⁰⁾ mandasse pronunciat, cum ipsum in lege haec praecepisse manifestum est. In quibus verbis quid aliud ostenditur, quam cum Christus finis legis advenerit, ea secundum litteram custodiri non mandaverit? De sacrificiis autem per alium prophetam loquitur¹¹⁾: 'Non in sacrificiis tuis arguam

1) Sic cod. 2) Exod. 34, 33. 3) Luc. 15, 5. 4) Desunt quaedam. 5) 'hetretici' cod. 6) Ierem. 1, 10. 7) Om. cod. 8) 'inbecillitate' corr. 'inbecillitates' cod. 9) IV. Esdr. 1, 31. Is. 1, 14. 10) Textus hiat. 11) Ps. 49, 8—13.